



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 3. Monstrosus regis Cassani filius baptismo curatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

§. III.

Monstruosus regis Cassani filius Baptismo curatus.

Sicut autem, dum medici morbos curant, morbi vicissim medicos cōmendant; ita fit in diuinis Sacramentis; dum sanant prodigia, fiunt prodigiosa. Neque ea vis soli est Sacramento pœnitentiæ. Baptismus quoque vt hōc genere inclaresceret, & morbos fœdos pepulit, & deformitatem, Anno 1298. Rex Tartarorum Cassanus, quem Magnū vocant, cum ducentis equitum millibus Syriam finitimasq; regiones occupauit. Facta est tanti victoris potentia omnibus formidanda. Quare Rex Armeniæ, quamuis Christianus, eius viribus exterritus, non ausus est filiam suam illi negare, quam in matrimonium poposcerat, quia pulcherrima esse dicebatur. *Illam, post aliquod tempus, è viro suo Cassano edidit in lucem partum tantæ deformitatis, vt rex maritus nullo modo illum veluti suum voluerit agnoscere, quòd monstrum videretur. Vocat ad consilium primarios: de ipsorum sententia uxorem veluti adulteram, partum veluti ex adulterio susceptū ultimo supplicio adiudicat. Quo fugeret innocens mulier, nisi ad innocen-*

Thom.
Boz tom.
1. de Sign.
Ecclef.
l. l. c. 16.
ex Io. Vil-
lano. lib.
8. cap. 35.
An. 1298.

tiæ defensore Deum? Itaque deplorata
sua infelicitate ad preces sacras se contu-
lit, illi quæstia iniuriã, cui soli cognita erat
iustitia causæ. A precibus ubi surrexit,
ignara consilij, quouë regente duceretur,
saltem rogauit, vt sibi prius quàm morien-
dum esset, liceret sacris vndis abluere eum,
quem peperisset. Annuit rex, deditq; id
faciendi potestati; ea tamen lege & con-
ditione, vt adessent baptismo aliqui fidei
spectatæ viri, vnà cum rege, ne qua fraus
intercederet. Mira res: quàm primùm
baptismo tinctus est puer, adeò repenti
venustus formosusq; apparuit, vt rex pro-
digij magnitudine permotus, cum pluri-
mis satraparum, qui aderant, plebemq;
sibi subiectam post se traxerant, manus
nomenq; Deo dederit, maximumque rei
Christianæ factum sit incrementum. Quis
neget hanc vim baptismo? cùm penetret
vsque ad animæ labem abluendã, cur non
& corporum menda posset, Deo iubente,
emendare?

§. IV.

*Baptismus è porcis prestigiosis homines faciens
magna conuersionis causa fuit.*

Quod si puer iste non fuit satis mon-
strosus,